

regnum proprium, quod ἀπὸ καταβολῆς κόσμου (Matth. XXV, 34) *πρὸ χρόνων αἰώνων* (II. Timoth. I, 9:) nobis ab ipso fuit præparatum? (Confer quæso τὸ ἠτοιμασμένην in I. cit. Matth. cum τὸ ἔτοιμα πάντα cap. XXII, 4, & Luc. XIV, 17:) Ergone *βῆνην* petentibus dabit *scorpium*, aut *piscem* poscentibus projiciet *serpentem*, aut *panem* rogantibus porriget *durum lapidem* (Matth. VII, & Luc. XI)? Minimè **VI. rō.** Non vincet ipsum affectus meretricius aut amor fornicarius. Nempe meretrix non passa est subolem suam dissectum iri à Salomonis gladio (I. Regg III.), & genitalis ipsius amor nos cribrari patiatur à Diabolo ac absorberi ab infernali barathro? Ecce! respondet nobis apud Jesaiam (cap. XLIX.) naturali utens similitudine, (sunt verba B. Hieronymi) *Si potest fieri, ut mater sui obliviscatur infantis, & ad partum viscerum suorum non flectatur misericordia, & ego obliviscar tui. Plus aliquid dicam: Etsi illa oblita fuerit vincens mentis duritiâ juraturæ; ego tamen non obliviscar creaturæ meæ, & sanctorum animas semper in meo corde retinebo. Scito enim tu, quæ te penitus arbitraris derelictam, in meis descriptam esse manibus atq; depictam, & muros tuos coram oculis meis jugiter permanere.* Hæc Hieronymus. **VII.** Imitabimur ergò tribus Israeliticas (II Samuel. V.) omnesq; ac singuli accedemus ad Christum dicentes: Ecce JESU incarnate, nos sumus *os Tuum & caro Tua*, heri etiam ac nudius tertius, quum adhuc dominaremur Diabolo Saulitico & à Te abalienati essemus, Tu tamen nos *educebas & introducebas*: Quòd si postliminio jus aliquod in nos aut allegarit aut prætenderit, Tu potiori jure, quàm Celsus olim ICTUS (l. 49. ff. de rei vindicat.) ad ipsum dicturus eris, *Apage Te, Satana, Meum est, quod ex te me à super est, cuius vindicandi jus habeo.* Habeto hoc jus, piissime JESULE, & ita iterum eoram Te prosternimur, Tuasque laudes si non ebuccinamus, tamen vagimur: neque enim ulla Te tangit ratiocinatio, nulla assequitur expensio, nec ulla adire valet emeditatio. Tu gratiosissimos ex turris Davidicæ speculâ radios, humana nationis redempto-

demto.